


Wiener Stadt-Bibliothek.

18412

A



S.V. 40.

N. 7359.

z. w. 25198

A 18412

N. 11. 15

EPITHALAMION.

IN NUPTIAS CLARISSIMI VIRI, NOBILITATE, VIRTUTE, ERUDITIONE PRAESTANTIS, DOMINI MICHAELIS LVNGELII Viennensis, artis Medicæ peritissimi, ac nobilis & ornatissimæ Catharinæ Lidlin Triglouiensis.

Cui ad dignitatem coniugij commendandam insertum est argumentum de Nuptijs in Cana Galilææ factis, ac primo Christi miraculo illustratis.

Autore IOANNE SECCERVITIO
Vuratillauensi.

VIENNÆ AVSTRIÆ EXCVDE.
bat Michaël Zimmerman,

AD AVTOREM EPI-
GRAMMA LAMPERTI
PVSCHELII CARINTHI.

COElica dum summi sectamur iussa Parentis,
Et petimus casta mente placere Deo:
Eximiam laudem pietas hæc nostra meretur,
Magna piùm sequitur gloria magna thorum.
Ac veluti summo virtus placet ista Parenti,
Hanc quoq; Pierio sic decet ore eant.
Sit dum legitimi describis fœdera lecti,
Aonio vates iam benè note choro.
Quis dubitet? sacro rem tractas carmine dignam,
Quis dubitet? gratam rem facis vsq; Deo.
Nulla tuas vnquam delebunt tempora laudes,
Nulla mole potest viuida Musa premi.

EPITHA-



EPITHALAMION.

F Oederis auspicium quærens ignara vetustas,
Quo iungunt sociam femina virq; manum.
(Res est ista grauis, vitæ dependet ab ista
Cuncta salus) quem nam reperit illa Deum?
Repperit ab cæcis decepto pectore nugas,
Et pro Numinibus nomina plena dolis.
Iamq; tuas Hymenææ faces, tua tela Cupido
Extulit, & Paphiæ mollia regna Deæ.
Tu quoq; dicta soror pariter, coniunxq; Tonantis
Hic nacta es titulos pronuba luno tuos.
Sed benè quòd tantas cœlesti lumine fraudes
Sustulit æterni vox patefacta Dei.
Vana superstitio, mendaxq; valete Deorum
Que ius antiquis turba dedistis auis.
Iamq; aliquis vobis Stygias det sacra per aras,
Te raq; pro miti sulphura thure cremet.
Nobis coniugij, qui par simul omnibus autor,
Auspicio salue maxime Christe tuo.

Nam quantus noua nupta tibi sponsusq; pudicus
Sint amor, & mentis quam pia cura tue:
Cana Dei, nullis quo iam delebile seclis
Nomen habet, testis munere semper erit.
Hæc te connubij ritus & gaudia vidit
Aduentu facilem condecorare tuo.
Vidit & egregios comites, sanctamq; Parentem
Huc simul vnanimi mentis amore sequi.
Quis neget esse Deo gratos cum coniuge sponsum,
Cum grege quos visens gaudet adire suo?
Sed maiora dedit mentis monumenta benignæ.
Quisquis es, ò curas abijce sponse tuas.
Ecce domo tacitus gliscit sub paupere mæror,
Dedecus & vacua computat omne manu.
Tot mihi lætitiæ chari venêre propinqui,
Turbaq; vicino de lare dulcis adest.
Iam cupiunt omnes hilarem protendere frontem,
Suntq; fouenda bono gaudia digna die.
At me destituens probris insultat egestas,
Lætitiæq; dator iam mihi Bacchus abest.
Hei mihi, quem primo tantus iam littore fluctus
Excipit, in medio quæ feret vnda fretô?
Vnde quid, aut quò me miserum blandissimus error
Abstulit? hæc vita est illa probata Deo?

Et tamen est, noui. quamuis onus addidit ingens,
Hæc probat, hæc sanxit fœdera prima Deus.
Te duce, te ueni domino, tua iussa secutus,
Et uolui casti iura subire thori.
Ut me cunq; premet sanctis crux addita rebus,
Te quoq; iam certum est auxiliante pati.
Inueniet tua cura uiam: tua diues & ingens
Copia, quâ placide nil mihi restat opis.
Talia uoluentem dudum miseratur amico
Pectore magnificum Christus adortus opus.
Quo nec Diua Parens sociam te passus honorum,
Hoc meritum soli uendicat omne sibi.
Tu quoq; sollicitis quid enim nunc uocibus instas?
Et cupis in nati iura ualere tui?
Iusta quidem pietas miserari incommoda sponsi.
Parce modum nato sed posuisse tuo.
Nam neq; tota parens, & pars quæ maior in illo est,
Iura tenet matri non socianda suæ.
Fas sperare tamen, nec te fiducia fallat.
Perge, quod exoptas postmodò sponte dabit.
Ergò tuo faciles monitu didicere ministri,
Illius ut nutus, magnaq; iussa colant.
Iamq; iubet positas de more lauantibus urnas
Impleri largo fonte recentis aquæ.

Quid sed quid subito puræ flauescitis vndæ?
Non color hic dudum, non sapor iste fuit.
En age sponse nouum gaudens iam suscipe munus,
Præsentem donis & venerare Deum.
Fœlix cui tanto sub vindice turpis egestas,
Et sunt munifica damna leuata manu.
At tua damna leuat, vili tibi neſtar ab vnda
Elicit, & plenis dat pie sponse cadis.
Ipse adeò inprimis, cui sunt conuiuia curæ,
Conueniens mensis vt tribuatur honor,
Miraturq; stupetq; nouo dans iurgia monſtro,
Tardius ignotum prodeat vnde merum.
Ne mirare, Deus, deus, atq; arcana poteſtas,
Hæc tibi nec ſponſi cura manusq; parat.
Ille tibi, ſacro qui continet omnia verbo,
Naturæ ſummus totius autor adeſt.
Illius imperium ſequitur, quocunq; vocarit,
Et mutat curſus iuſſa repente ſuos.
Dixerit: actutum medio Sol fixus Olympo
Stabit, erit ſcopulo durior vnda maris.
Arida petra dabit lymphas, per inhospita victum,
Ipsaq; cœleſtem depluet aura dapem.
Hæc nunc prima adeò manifeſtat ſigna per orbem,
Ex quo mortali corpore natus homo eſt.

O quis coniugij iam non agnoscit honorem?
Primitias virtus cui dedit ista suas.
Omnipotens virtus, illoq; in corpore regnans,
Quo dominans Mundo Numen inesse patet.
Cæsaris angustos Maestas fortè penates
Dignetur celso si tetigisse pede:
Pauperis illud heri quantum decus? illa beatum
Lætitia insigni tollit ad astra dies.
At venit hîc maior qui Cæsare fascibus ipsis
Imperat, & regum subdita sceptrâ tenet.
Coniugijq; sacros ingens Paranympbus honores
Dignatur parua nobilitare domo.
Scilicet ille memor, patrij. quæ Numinis olim
Orbere cens nato sanctio prima fuit:
Arboribus fœlix teneris Paradisus & herbis.
Gaudia sponsali cum dedit apta thoro.
Et nunc hæc igitur Miracula prima per orbem
lurè dat in primi spemq; decusq; status.
Salve clara domus, tu nunc Paradisus & alter
Coniugibus semper Cans canenda pijs.
Hîc fauor, & Superi se Numinis alma voluntas
Nunc iterum casto datq; nouatq; thoro.
Hîc & certa nitent dure solatia sortis,
Plurima quæ thalami miscet amara bonis.

Ne dubita. nam Christus adest, qui quicquid acerbi est,
Quicquid aquæ, dulci diluet omne mero:
Ipse caput Sponsæ Christus, sponsusq; suorum,
Subiectos varijs quos leuat ipse malis.
Æternoq; sibi coniungit amore sacrat
Fœderis in nexus, & super astra locat.
Ecquis erit, pigeat quem ius sponsale subire?
Quo sibi consortem iam videt esse Deum.
Sponsus es: hæc tecum cœlestis nomina sponsus
Nomina iam quanta splendida luce gerit.
Hoc thalami consorte bonis, hoc auspice gaude,
Et sacra connubium non temeranda puta.
Vtq; amat ille suam, sic tu complectere sponsam,
Quam sociam vitæ vult Deus esse tuæ.
Hæc te fida colat, ceu Sponsa Ecclesia Christum,
Atq; sit in nutus officiosa tuos.
Hæc placet, hæc superis coniunctio sancta probatur.
Dotibus hîc habitant Numina fausta suis.
Sufficiuntq; bonam sobolem, charosq; nepotes,
Et decus & vitæ, præsidiumq; domus.
Heu miseri, potior quibus his insana voluptas,
Et vaga sub spurca Cypride furta placent.
Indicis accendunt funestas Numinis iras,
Et patriæ cumulant, & mala multa sibi

Testis

Testis erit Sodomæ, testis miseranda Gomorrhæ,
Pœnâq; Thebanos depopulata lares:
Innumeræq; aliæ clades, quas dira libido
Gentibus inuexit Principibusq; viris.
Quò magis ô domiti iam discite pectoris æstus
Vincula sub magni stringere quisq; Dei:
Et certas leges, & ius tolerare maritum,
Flamma capit finem quo moderata suum.
Rectius hinc puro tua vota litabis Olympo.
Gaudet enim casta mens prece casta Deus.
Cuius & ipse tibi præfuit fœderis autor,
Illo defensor candidus vsq; teget.
Hæc nobis ô Cana Deo decorata relinquix,
Atq; in perpetuos das documenta dies.
Quæ nunc ecce Nouo quoq; sunt aptissima Sponso
Credita, quæ vitam dirigat ipse suam.
Lungelius (date vota pij, linguisq; fauete)
Lungelius pulchro pectore sponsus adest.
Auspice iamq; cupit sacra fœdera pangere Christo.
Hic melior nobis hic Hymenæus erit.
Hoc duce iamdudum vixit pietatis amator,
Et peperit studio recta colente decus.
Impiger Aonijs hausit de fontibus artes,
Vnde nouum lumen mens generosa capit.

Quæq;

Quaeq; senem Coum, clarumq; Machaona tollunt,
Haec quoq; solerti cognita mente tenet.
Possit vt afflictis tristi succurrere morbo,
Parcarum rapidas atq; inhibere manus.
Addidit his mores, quos candor amabilis ornat,
Temperie grauitas & benè mista sua.
Integer & prudens, & mente benignus aperta,
Emicat & docti fama fauorq; chori.
Haec sunt insignem tibi quae coniungere nuptam,
Et faciunt dotes Sponse placere tuas.
Illa pudicitiam pariter, virtutis & adfert,
Inchlyta qua debet sponsa nitere decus.
Nec non iungit opes, formaeq; decentis honorem,
Et generis faelix stemmata clara sui.
Tot iam muneribus cumulatam suscipe sponsam,
Qualia sors raro iuncta coire facit.
Hoc tibi dulce merum iam Numine fundit amico
Christus, & haec thalamo gaudia prima tuo.
Qui tibi nunc semper precor, vberiora daturus
Auspiciū vitæ fulgeat vsq; tuæ:
Ille tibi leta florentes indole natos
In patris, & laudes surgere donet aui.
Atq; aliquis dicat lapsi non immemor eui,
Cum repetet vestrae lumina clara domus:

Talis

Talis, me puero, senior florebat honore
Lungelius, patriæ gloria magna suæ.
Ciuiibus & gratus cunctis probitate valebat,
Consilio præstans, dexteritate, fide.
Talis & is, doctus qui sacra oracula legum
Eximium pulchræ laudis agebat iter
Qui postquam terras fatali lege reliquit,
Peonia frater clarus in arte subis.
Qui genus instauras virtute, & prole beata.
Maçte, iuuet superûm teq; tuosq; fauor.
Hec ità te stirpemq; tuam pia fama sequatur,
Nunc damus en isto candida vota die.
Accipe, Lungelium maneant quæ vota per æuum,
Accipe carminibus testificata meis.
Sic iam Nestorea dulces ætate nepotes
Aspiciens, molli gaudia sorte feras.
Adsit fida tibi concordi pectore coniunx,
Altera pars animæ, præsidiumq; tuæ.
Et vobis sero placidè migrantibus æuo
Syderei pateat regia celsa poli.

FINIS.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

FINIS

184081

